

Interea in multis Galliae partibus quotidie novi motus excitabantur; Principum catholicorum, civitatum, atque universitatum nomine, pro veteri religione populorumque libertate tuenda, Lutetiae edictum pronuntiatur, quo onerum, tributorum, vectigalium levationem pollicentur; deinde tertio kalendas februarii denuo Principes, Galliae (quos *Pares* vocant) Praesides, Antistites, libellorum supplicum Magistri; Consiliarii, Patroni, Procuratoresque generales cum aliis ad viginti sex supra trecentos, novo se societatis foedere obstringunt; ac quacumque ratione ob Blaesensem caedem Henricum persequi statuunt. A Sorbonensi quoque collegio decretum promulgatur; Galliae populos a fidelitatis atque obedientiae regio dicto sacramento solutos esse; concilia cogere, arma stringere, pecuniam corrogare, collectas imponere, pro Catholicae Apostolicae ac Romanae Sedis defensione absque conscientiae labe contra nefariam vim impiaeque Regis suorumque consilia posse, quod fidem publicam adversus catholicam religionem sanctumque foederis edictum violasset. Haec tot tantaque cum Henrico obversarentur, illud primum aggreditur, si, totius regni comitiis denuo vocatis, lapsas aliqua in parte res erigere, labentes civitates ac populos sistere valeret. Missis in omnes provincias literis, cur Guisios interficiendos curaverit, promulgat; eorum consilia, actiones in se inque regni exitium exponit; eodem, quo semper fuerit, in catholicam religionem animo esse, testatur; comitia Turonibus martii mensis initio indicit. Verum, proclinatis semel in praecipis rebus, nullis consiliis, nulla humana vi obsisti potest. Excusso regiae majestatis metu, pro reverentia contemptus, pro obsequio neglectus insurgit. Foederati acri responso Henricum exagitant; tamquam in tyrannum invehuntur; tuto comitiis interesse non posse contendunt.

Itaque cum humanitate & clementia nihil proficeret, subjectosque, veluti freno arrepto, quacumque insanis affectibus ducerentur, transversos agi; benevolentiam, metum; pacis studium, ignaviam vocare animadverteret; acrius agendum supremaque auctoritate utendum ratus, Maynium, Aumalios Ducem atque Equitem, foederis principes perduelles pronuntiat; Lutetiam, Ambianum, Aurelianum, Abbevillam civitates, quae iis ad-

1589

*Foederati
Principes
Lutetiae edictum promulgant,
primores
Galliae sibi
adjungunt.*

*Sorbonensis collegii
contra Henricum Regem decretum.*

Henricus Rex Regni comitia frustra cogere nititur.

*Foederati
Principes
& civitates
perduellionis rei a Rege pronuntiat.*